

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538889

XLIV. Quaestio Medico-Chirurgica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

XLIV.

Q U Æ S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A .

Quam Praside

M. JULIANO BUSSON, M. D.

Palam tuebatur

ALEX. DIONYSIUS DIENERT,

M E L D E N S I S ,

SUB HAC VERBORUM SERIE

AN ABSQUE MEMBRANÆ TYMPANI APERTURA

TOPICA INJICI IN CONCHAM POSSINT?

Parisiis 4 Aprilis anno 1748.

N n 3



I.

URIS interna à meatu auditorio diffociatur intergerino pariete, qui membrana tympani appellatur. Hæc pellicula est tenuis, pellucida, admodum tensa, non tamen plana; etenim ex parte meatus auditorii figuram habet cavam, convexam autem à parte ossis petrosi, ita ut ex basi rotunda in acumen desinat in tympano: variis instruitur lamellis sibi invicem appositis & adhærentibus, quarum externa epidermidis, cutisque, interna periosteï succingentis tympanum productio esse videtur. Illius est munus, ut motus sonoros ad interiora transmittat officula, malleum scilicet, incudem & stapedem, necnon impediatur, quominus aer externus, sordes, pulveres, insecta & alia hujusmodi in tympanum ingrediantur. Hinc patet, quanti referat membranam tympani, si fieri possit, illibatam conservare, quotiescumque pus aut humoris decubitus concham internam opplet.

II.

Si pus aut humor malignæ indolis diutius in tympano immoraretur, ad operationem confugiendum esset: membrana tympani instrumento idoneo incidenda. Alioquin stagnantis ichoris acrimonia possit ipsum & ossa vicina erodere, corrumpere, cellulas processus mastoïdis & labyrinthi parietes adoriri, unde auri labefactatæ eriperetur auditus facultas, relicta carie, quæ, sensim serpendo, tandem mortem inferret improvisam. Satius est igitur in quibusdam casibus membranæ tympani minus parcere. Illa enim perforata, humoribus tympani inquilinis ampla via referabitur, locus dabitur in illud injiciendi liquores deterivos syringis ope. Fateamur oportet illa præcepta dictu quam persuasum faciliora esse. Decantatæ operationis necessitas & tempus definiri in præsentibus aurium morbis vix queunt, cum in latebris ossis malum incarceretur. Sapientis & periti est medici morbi causas, symptomata, effectus, examinare, componere, ab ægro sciscitari an præter surditatem, sensum gravitatis tensionisque &c. in tympano sentiat; nam, si istud humoribus turgeat, ipsius membrana retropellitur, tenditur, tensioque ab ægotante persentitur. Sed etiamsi certa foret indicatio abcessus in auris cavo interiore delitescens evacuandi, non illico ad lanceolam properandum. Alia sunt auxilia prius tentanda.

III.



III.

Naturalem sequi viam debemus per quam e tympano humor inclusus eliminari & concha detergi potest. Hæc via tuba Eustachiana est : quo nomine insignitur canalis seu meatus partim osseus, partim cartilagineus, cujus osculum alterum patet in tympano, alterum versus nares posticas; ibi internum tubæ latus margine semilunari cartilaginoso terminatur. Per tubam Eustachianam aër externus, qui naribus & ore hauritur, penetrare in concham internam, manere, rarefieri, exire, renovari potest: radii sonori naribus & ore admissi huc intrant &, adulterato meatu auditorio, auditum expediunt. Quoniam autem ista loca vasculari membrana induta sunt, molliter laxata, lubricata & munda (quamdiu cuncta belle se habent) conservantur. Verisimile est per hunc canaliculum pus aut peregrinos humores in tympano inclusos posse in fauces stillare, si artis auxilio juventur, nempe topicis emollientibus simul & deterfivis auri admotis. Ad præstantiorem medendi rationem, quæ his jungi debet, transvolemus.

IV.

Ut efficacius fiat conchæ internæ deterfio, vaporis medicati in illam sic intrudi per meatum Eustachianum queunt. Æger vaporem aquæ mellitæ aut alius convenientis ore excipiat magno haustu: illico spiritu cohibito narium pinnas digitis rite premat: labium labio adducat, ita ut aëri intercludatur exitus: nunc musculos expiratorios contrahendo aërem e pulmonibus in oris antrum fortiter propellat: aër undique in ore pressus qua data porta ruit, nempe per tubam Eustachianam in tympanum; illud opplet & ejus membranam retropellit: sic vapor medicamentosus cum aëre in concham truditur: sæpe repetitis vaporis haustibus & expiratione artificiosa, humor noxius, quo tympanum infarcitur, dilui potest & ad exeundum per tubam magis expeditus reddi. Aër, qui e pulmonibus vi quadam intrusus fuit in tympanum, naturali quo pollet elatere in fauces resilit, nec potest remeando non auferre mobiliore humorum in tympano stabulantium particulas. Huc accedit, quod aër externus, qui toto atmosphæræ pondere incumbit in exteriorem membranæ tympani superficiem, ut primum os post nifum expiratorium aperitur, viribus præpolleat, illam agat, repellat, in priorem statum restituat, ac proinde vim augeat aëris & vaporis medicamentosi exitum e tympano in fauces molientium.

V.



Obijciesne hinc nimis periculosam esse membranæ tympani incisionem, illinc valde nocivam aeris & vaporis per tubam Eustachianam in tympanum intromissionem, quæ sine violentia quadam absolvi nequit? Num autem quicumque aurium abscessibus laborant infelici suæ forti (ut fieri solet) permittendi? An præstat membranæ tympani suppurationem expectare, quam, illam mature incidendo, puri aut humoribus in concha interna nidulantibus viam facere? Sed, antequam ad operationem chirurgicam deveniatur, vapores saluberrimos injicere per tubam Eustachianam non dubitandum: nil periculi est: hæc animadvertas velim, quæ quotidie accidunt, quoties nares emunguntur, ore licet aperto; dum nares digitis stringuntur & muscoli expiratorii aerem in narium cavos vibrant, ipsum etiam, eodem motu, per meatum Eustachianum in concham internam pellunt; sentis utramque tympani membranam fortiter pelli & distendi. Hæc sufficiunt, ut concludatur topica in concham auris internam injici posse, quamvis membrana tympani non perforetur.

Ergo absque membranæ tympani apertura topica injici in concham possint.

F I N I S.



D I S-

CAPUT PRIMUM.

Nomen, naturam, genus & differentiam epulidis & parulidis tradit.

Cum itaque noſter ſcopus requirat, ut præſentem diſſertationem recto tramite aggrediamur, non abs re fore exiſtimo, affectus hujus *Onomatologiam* primo loco rimari: vocatur autem *epulis*, quæ vox latina civitate donata, quippe Græcis ἐπιλις. Componitur vero ex ἐπί quod hoc in caſu circa, vel ſuper & ſupra, & τὸ ὄυλον gingiva, prout notat *Job. Scapula. in Lex. Gr. Lat.* quaſi dicas *ſupergingivalis*, puta *morbis. Excreſcentia Gingivæ* itidem apud Latinos eo nomine venit: *Job. Crispinus in Lex. ſuo Gr. Lat. ſub lit. E.* pariter hanc vocem ita vertit, ut & *P. Forreſt. Lib. XIV. obſ. 16. in ſchol. Joſton. ſynt. univ. med. Pr. l. 3. tit. 12. Job. Georg. Walther. ſylv. med. lit. G. Job. Ronſeus enarrat. ad Corn. Celſi l. 6. c. 13. f. 596. & Job. Gorræus in definit. med. lit. e. Tuberculum, Fel. Platero obſ. l. 3. p. 648. Caruncula in ore, & M. Sebiz. in ſp. Med. Pr. part. 2. ſect. 4. c. 8. atque Celeberr. Etmüllero oper. in fol. edit. p. 1. c. Pr. c. 3. p. m. 112. Luxuries & dentium ſuperincarnatio* vocatur: non ſatis accurate. Belgis appellari ſolere Baſtert *Vleis*, *Steph. Blancardus in Lexico medico* ait: aſt longe aliud ſimul ad epulidem requiritur, ita ut non ſatis perſpectam habere epulidis naturam videatur *Blancardus*. In *Fabro Buchneri per Cellar. f. m. 876. ita*: epulis, idis, ἐπιλις, excreſcentia gingivæ, caruncula inter dentes gingivis enata, *daß Fleiſch zwiſchen den Zähnen*, valde inepte! Quod tamen lexicographo non medico facile condonabitur. *Παριλις* vero ſimili compoſitione eſt ad gingivam ortus morbus, & *Jul. Polluci. O. nom. lib. 4. c. 25.* dicitur ἔλων ἀπόσασις, gingivarum defectio, teſte *Job. Rhodio in not. ad ſcrib. Larg. comp. 61.* Gingivam vero deficere putat à ſuppuratione, non ſoluta ſc. inflammatione; cui contrariatur maxime *Fallopini tract. de tumor. p. n. altero & poſtremo cap. 27.* dum ait: ſic dici tanquam nova gingiva addita priori, *παριλις*, quaſi gingiva parva, oborta alteri. Nos autem jure *Jul. Polluci* ſubſcribimus, ἀποσασίν tamen non defectionem ſed abſceſſum eſſe interpretandum, arbitramur, ut ſit idem quod ἀπόσημα.

§. I I.

Hæc de nomine; ſollicitum me nunc ordo eſſe jubet de ipſa re. Cujus notitia non ex aliis quam Græcis Auctoſibus petenda, vocabulo ab his primum uſurpato. Et in *Hippocrate* quidem ejus mentio nominatim non legitur, cum illis temporibus nondum exulta adeo eſſet medicina, ut ſinguli morbi, morborumque genera, propriis ſuis nominibus gauderent.

